



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. VIII. De tuenda, & reparanda Valetudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT VIII.

De tuenda, & reparanda
valetudine.

Post leges sanè non paucas purgandis, excolendisque animis in Societate latas, oportuit etiam corporibus Sociorum curandis caveri. Hæc igitur religiosæ providentiæ pars minimè à Jure nostro neglecta, hic exponenda est.

S E C T I O 1.

De valetudine conservanda.

1. **I**n iis, quæ ad victum, vestitum, somnum, & habitationem, & alia corpori necessaria, vel convenientia pertinent, usurpanda, quatuor curentur. 1. Quamvis sit, in quo probetur virtus, non desit tamen, quo sustentetur natura. 2. Ut ea ratio ineatur, quæ minimè diversa sit ab eo, quod Medicus illius loci, in quo vivitur, judicabit: ita ut, quod quisque sibi inde subtraxerit, ex devotione, non ex obligatione subtrahat. 3. Ut communem, & approbatum usum honestorum

*Victus, vestitus,
& similia
communis Re-
gula.*

a Ex. c. 4. §. 16.
& P. 3. c. 2. §.
3. & P. 6. c. 2. §.
15. 16. & Jul.
III. p. 67. &
R. Præp. 61. &
Rect. 85.

* *Particularia*
quædam de ci-
bo, vestitu, &
habitatione.

b Reg. com.
16.

c C. 1. D. 114.

d Ex. c. 1. §. 13.
& F. & P. 1. c.
4. §. 4. & P. 3.
c. 2. C. & R.
Rect. 58.

e R. Præp. 87.
& Rect. 85.

Sacerdotum sequamur. 4. Habenda est ratio Humilitatis, Paupertatis, ac spiritualis ædificationis; quæ semper nobis in Domino ob oculos versari debet. *a*

* 2. In particulari; ut consulatur valetudini, nemo extra consueta tempora bibat, nec extra domum cibumumat, absque facultate Superioris. *b* In vestitu habenda est ratio ejus finis, qui est ab injuria frigoris, & ab indecoro defendi. Barbam non esse nutriendam est visum. *c* Ceterum ut qui probantur vilioribus indumentis ad Mundi contemptum juvari debent, ita cum iis, qui studiis vacant, major habenda est ratio decentiæ exterioris, & commoditatis propter studiorum laborem, & quia Collegia redditus habent. *d* Profecturi ad alia loca Sortanâ, & aliis interioribus indumentis privari non debent, nisi caritas suaderet melioribus esse commutanda. Reliqua ad iter necessaria danda sedulo erunt, sed eorum sumptibus, quorum erit expensas itineris solvere. *e* Tempus somno tribuendum, intra sextæ, & septimæ horæ spatium deberè esse videtur; quod communiter omnes observent: eritque designatus, qui, elapso quadrante, adeat singulorum cubicula; videatque, an omnes ad lectum se receperint, & lucernas extinxerint.

tinxerint. *f* Ad conservandam etiam va-
litudinem curandum, ut Domus, & Col-
legia in locis, ubi sit purum, & salubre
Cælum, habeantur: & licet sumptuosa
esse non debeant; tamen sint sana, & for-
tia; *g* & si aliquis ferre non posset alicu-
jus Regionis cælum, Superioris est con-
siderare, num ille migrare aliò debeat. *h*

3. Ceterum, ut rerum omnium deter-
minata quædam norma esse debet, tem-
pusque edendi, cubandi, surgendi, statu-
endum est, quod communiter observetur;
& quæ vitæ communi sunt necessaria, te-
nentur Superiores inferioribus suis eâ, qua
par est, caritate suppeditare: *i* ita haberi
debet ratio conveniens Personarum, &
cum eis dispensandum, prout Superior
in Domino judicaverit. In tanta enim va-
rietate personarum, ac habitudinum con-
siderandum est majus particulare bonum
hujusmodi Personarum, & universale alia-
rum multarum, & quoad ejus fieri poterit,
ad majorem Dei gloriam, providendum. *l*

4. Ut non expedit tanto labore corpo-
rali quemquam onerari, ut spiritus obrua-
tur, & corpus detrimentum patiat; ita
aliqua corporalis exercitatio, quæ utrum-
que juvat, omnibus similiter convenit: &
à prandio, præsertim in æstate, per unius,

V 3 vel

f P. 3. c. 2. §. 2.
& E. & R.
noct. Visit. p.
259.
g P. 10. C. &
C. 1. D. 113.
h P. 3. c. 2. G.
& R. Præp. 86.
Rect. 84.

*Norma commu-
nis, sed cum
aliquibus in ea
dispensandum.*

i P. 3. c. 2. §. 2.
& C. 12. D.
43.

l P. 3. c. 2. B.
C. D. E. & P.
6. c. 2. M. N.

*Moderanda
mentis, & cor-
poris fatigatio.*

m P. 3. c. 2. §. 4. & D. & P. 4. c. 4. §. 1 & P. 10. §. 10.

n P. 3. c. 2. §. 2. & F.

Præfetti sanitatis, & Ministri hoc in genere munitis.

o P. 3. c. 2. §. 6. & G.

p R. Min. 5.

Quatenus Coadjutores concedendi.

q R. com 18. & R. Præp. 62.

r C. 7. D. 29.

Sua cuique valetudo ut curanda sit.

vel duarum horarum spatium, permitti non debent corporis, aut mentis graviora exercitia. *m* Corporis etiam castigatio immoderata esse non debet in poenitentibus exterioribus, ac laboribus; quæ & nocuum afferre, & majora bona impedire solent, *n* ut supra dictum est. C. 4. §. 5. 6. 7.

5. Quare sit aliquis domi, qui præsit in iis, quæ ad bonam corporis valetudinem spectant; cui debeant omnes, si male se habere extraordinarie senserint, id referre. Ipse verò, quæ noxia, vel utilia valetudini essent, Superiori significabit.

6. Quid autem ei præstandum sit, distinctius præscribitur in Reg. Præf. Sanitatis p. 229. Et Minister eorum potissimum rationem habeat; qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt. *p*

6. Ut curari debet, ne debiles, aut cum magno fructu occupati ministerio fraternæ caritatis destituantur, ita reliquis adjutores assignari non debent. *q* Immo nemini præterquam Visitatoribus, & Provincialibus, certi Coadjutores assignandi, à reliquis domesticis muniis immunes. *r*

7. Demum quilibet, pro eâ curâ moderatâ tuendæ, ad Divinum obsequium, valetudinis, quam debet adhibere; cum animæ

animadverterit aliquid sibi nocere, vel quid aliud necessarium esse, admoneat Superiorem, duo interim observans; Primum, ut in oratione rem expendat; alterum, ut ubi Superiori rem exposuerit, totam eicuram relinquat; nec contendere pergat, sive concedatur, quod petitur, sive non.

P. 3. C. 2. §. 1. & A.

S E C T I O I I.

De reparanda Valetudine.

1. **A**T pro reparanda Valetudine laxantur spatia caritatis in Societate. Nam ægrotorum cura magna habenda; & ipsi quidem si malè se habere extraordinariè senserint, debent id referre Infirmario, vel Præfecto sanitatis, aut Superiori. Nemo verò medicinam ullam accipiat, aut Medicum eligat, nisi approbante Superiore. Qui tamen, si res poscat, curet vocari Medicum; quidem unus tantum ordinariè esse debet: nisi in casibus quibusdam aliud Superiori videatur.

Sub initia morbi quid agendum.

P. 3. C. 2 §. 6. & G. & R. com. 17. & Præp. 63. & Rect. 59.

2. Adventante autem Medico, Janitor dabit signum pulsatâ campanâ; ut ei ægrotos invisenti adesse possint, qui debent: uti sunt Minister, Præfectus sanitatis, &

Præstanda erga ægrotos, ut convalescant.

R. Min. 5. &
 Præf. San. 2. &
 Infirm. 2. &
 Jan. 16.
 * P. 3. c. 2. G.
 & R. Præp. 63.
 & Rect. 59. &
 R. Præf. San. 2.
 & Infirm. 8. &
 Dispens. 1. &
 Præf. Ref. 8. &
 Coqui 5.

* *Iidem quomodo inuisendi.*

γ P. 6. c. 4. A.

z R. com. 29.

Quomodo se gerere debeant aegroti.

Infirmarius. # Observetur autem, tam in victus ratione, quam in medicinis, quod Medicus præscripserit. Nec modo id præstandum cum iis, qui decumbunt; sed & pro Convalescentibus in Refectorio sit certus locus; quibus nihil, nisi quod præscriptum ab Infirmario fuerit, apponatur. *

* 3. Si verò aliqui ex infirmis, quod in phrenesim inciderint, vel alia de causa, minùs ædificationis, quam par esset, præberent; ex iis paucos assistere, quibus magis consideretur, oporteret. γ Universè autem qui, facultate accepta, ægrotos inuisent; non solùm demissa voce loquantur; sed tanta etiam moderatione, ut illis molesti non sint; atque de iis agant, quæ & consolari ægrotos, circumstantesque ædificare in Domino possint. z De juvenibus Nostris morientibus est in Constitutionibus peculiare Caput 4. Part. 6. sed relatatum est, ubi de extremis Sacramentis agendum fuit, hac eadem Parte Cap. 1. Sect. 3. §. 7.

4. At Infirmi, non solùm observare debent, magna cum puritate, Obedientiam erga Superiores spirituales; ut ipsius animam regant: sed cum eadem humilitate, & cum omnimoda indifferentia, erga Medicos

cor-

corporales, & Infirmarios; ut corpus ejus
regant; non impatientes, aut morosos se
exhibendo. Præterea qui ægrotant, curent
ex morbis corporis fructum capere, non
solum sibi, sed etiam ad aliorum ædifica-
tionem, humilitatem, & patientiam suam
præferendo; verbis piis utendo; quæ osten-
dant ægritudinem acceptari, ut donum
de manu Creatoris, ac Domini nostri:

* Ex. c. 4. §.
32. & P. 3. c.
1. §. 17. & c. 2.
G.



PARS